

rias, videlicet monarchiam, aristocratiam, & democratiam. Sic & alibi cum apud eum, tum apud alios pro republica sumitur: veluti cum Plutarchus dicit *Διακριτικὴ τῆν πολιτείαν*. Et Fabius *πολιτείας* vertit rerum publicarum species, scribens tres esse; quae populi, quae paucorum, quae unius imperio & potestate regantur. Denique ab illa nominis significatione, qua dicitur de administratione reip. est *πολιτεία* significans institutum vita & ratione: ut *ἱκανὴ πολιτεία*, ή καὶ τὸ διαγέλλων πολιτεία apud Basiliū: & *ἀποστολικὴ πολιτεία* apud Suidam. Ex his efficitur, politiā ecclesiasticā esse administrationē ecclesiæ, quatenus oculis usurpatur; itē quatenus fit juxta canones ecclesiasticos.

*Finis internus politiæ ecclesiasticae.*

II. Finis internus politiæ ecclesiasticae est, hoc agere ut in ecclesia omnia fiant *συνέκτης καὶ σύγχρονος*, h. e. ordine & decenter, juxta præscriptum.

Finis internus est, qui in potestate artificis continetur: externus est, qui est supra vires artificis. Ita finis internus pescatoris est arte suam recte exercere, illo scil. ordine & modo quo conuenit: externus est capere pisces. Ad eundem modum finis internus politiæ ecclesiasticae est, hoc agere ut omnia in ecclesia procedant ordine decenti, ut monet apostolus 1. Cor. 14. v. 40.

*Finis externus politiæ ecclesiasticae.*

III. Finis externus politiæ ecclesiasticae est *constitutere* & *restituere regnum Christi in his terris per politiam seu administrationem ecclesiæ visibilis*.

Ad hunc enim finem, tanquam ulteriorem, dirigitur finis ille internus: quia non oportet oculos defigere in externam illam administrationem, quae est tanquam cortex: sed oculo irretorto oportet respicere constitutionem, administrationem & propagationem regni Christi inter homines: de quo regno vide cap. seq.

## C A P. II.

### De subiecto politiæ ecclesiasticae.

#### P R A E C E P T A.

*Subiectum politiæ ecclesiasticae est triplex; informationis, tractationis & operationis; seu curæ, doctrinæ, & usus.*

*Subiectum informationis est intellectus practicus concionatoris.*

*Subiectum tractationis est modus constituendi & retinendi ordinem externum in ecclesia.*

*Subiectum operationis est proximum, vel remotum. Illud est ecclesia visibilis, hoc ecclesia Catholica sine regnum Christi.*

REGV